

R₂. Vehementer approbamus & commendamus istam Christiano pectore dignissimam confessionem, quod evidenter oporteat manere propriam significationem prædicati in verbis sacrae cœnæ. Et rogamus illud diligenter observari. Sed inde non sequitur, in copula esse Tropum.

32. 2. Quia, inquit, juxta expositionem priorem tropus revera ex prædicato in copulam recidit. Nam significare, & esse signum, quid differunt? sanè nihil. Adeoq; audeat affirmare, metaphoram, metonymiam, & metalepsin, non esse in prædicato, sed in copula, quia proprietas & nativa significatio prædicati nunquam mutetur, &c. Causa, inquit, & sedes Tropi est in copula, quæ aliter atq; aliter in diversis terminis afficitur.

Resp. 1. Quid Calvini discipuli pro se & præceptore suo velint & possint respondere, ipsi viderint. 2. De re ipsa affirmo, nullam Metonymiam (ad quam & Metalepsis refertur) nullam etiam Metaphoram fundari posse in copula. Id quod sic demonstro. Omnis Metonymia vel est causæ pro effecto, vel subiecti pro adjuncto, vel contrà. Et omnis Metaphora est ex argumento similium. Atqui copula Est neq; dici potest causa, neq; effectus, neq; subiectum, neq; adjunctum, neq; comparatum simile. Ergo in copula est non potest fundari metonymia vel Metaphora. Vis generalius? Omnis Tropus Rethoricus fundatur in notione aliqua topica, sive in argumento quodam inventionis Logicæ: id quod evidens est ex definitione omnium troporum. Copula axiomatica Est non est notio Topica sive argumentum inventionis Logicæ. Ergo in copula axiomatica Est non potest fundari tropus.

33. Libet audire testes Calvinianos? Iohan. Piscator in Responsione ad dictata Hoffmanni in quest. 3. c. 1. fusè & solide disputat, metonymiam in copula non posse habere locum. Et Keckermann. lib. 3. System. Theolog. c. 8. p. 444. Alii volunt, inquit, tropum esse in copula: quod & ipsum non potest probari. Nam si sumant copulam pro voce & verba copulativo, non potest esse in ea tropus: ut pote
qui